

Deinde etiam haec alia annectit: *Hanc quidem calumniam penes multam dogmatis inanitatem [312] operatur et concedit in dianoetica natura et intellectuali uniri et dividi haec mathematica eo cumulo, quem ipse absurdum esse dicit, quem tamen non sequi necessario. Nam ut A 5 est in syllaba, in dictione, in oratione eadem absque ulla coacervatione, ita punctum idem in linea, superficie, corpore esse potest. Sed quoniam et eruditissime et acutissime et verissime, omnibus cavillis et ut ipse vocat calumniis, quae his libris continentur, quaeque quemvis vel otiosissimum hominem in legendis atque scrutandis defatigaret, Syrianus vere magnus respondit copiosissime: ut mihi ipsi et aliorum labori parcam omittamque diutiorem operam in redarguendis iis consumere: et finem huic scriptioni imponam illud admonens antea, si quem libido incesserit ea perlegendi, unico fundamento omnia ruere et collabi. Id autem est memoria 10 tenere quatuor illa dissentium entium genera, in quibus et solida et superficies et linea et puncta et unitates et numeri et ideae etiam omnes suis tamen cuiusque modis reperiuntur.*

Addam unam, quae superest, physicam Aristotelis obiectiōnem, quam habet libro De sensu capite 5:<sup>28</sup> *Quod autem dicunt quidam Pythagoreorum, non est rationabile. Nutriri enim dicunt quae- 20 dam animalia odoribus, primum namque videmus cibum oportere esse compositum. Etenim quae nutriuntur non simplicia sunt. Et rationem hanc augens subdit:*<sup>29</sup> *Praeterea neque aqua ipsa sola incommixta existens vult nutritre, corporeum enim quid oportet esse id, quod debet 25 constituere. Adhuc multo minus rationi consonum est aerem corporescere. Negat hic aquam per se solam, non mixtam, nutritre posse. At libro 6. capite 16. anguillas affirmat nutritri aqua pluvia: καὶ γὰρ ζῶσι καὶ τρέφονται ὥμβριψ ὕδατι.*<sup>xvii</sup> Idem confirmat libro

<sup>28</sup> ὁ δὲ λέγουσί τινες τῶν Πυθαγορείων, οὐκ ἔστιν εὔλογον τρέφεσθαι γάρ φασιν ἐνια ζῶα ταῖς ὀσμαῖς. πρῶτον μὲν [γάρ] ὄρῶμεν ὅτι τὴν τροφὴν δεῖ εἶναι συνθετήν [σύνθετον]. καὶ γὰρ τὰ τρεφόμενα οὐχ ἀπλᾶ ἔστιν. [ARIST. Sens. 445a.16 – 19]

<sup>29</sup> ἐπεὶ δ' [ἔτι δὲ] οὐδὲ τὸ ὕδωρ ἐθέλει αὐτὸ μόνον ἄμικτον ὃν τρέφειν. σωματῶδες γάρ τι δεῖ εἶναι τὸ συστησόμενον. ἔτι πολὺ ἡττον εὔλογον τὸν ἀέρα σωματοῦσθαι. [ARIST. Sens. 445a.20 – 23]

xvii ARIST. H A. 570a.11 – 12.